

quis conversorum alicui domine edificare aliquid audeat absque nostra licencia speciali.

Magister autem stillicidiorum incommoda¹⁾ ubique locorum [F. 6] et maxime in dormitorio dominarum restauret, prout poterit, et reformet.

(Continuatio in fasc. seq.)

Scholae Benedictinae

sive

De Scientiis opera Monachorum Ordinis S. Benedicti auctis, excultis, propagatis et conservatis Libri Quatuor

a Domino Odone Cambier Monacho Affigeniensis Monasterii
Ordinis ejusd. S. Benedicti.

(Continuatio ex fasc. I. 1898, pg. 51—56.)

VIII. Caput XXII. Notatus quorundam docendi modus. Ut pueri in Scholis Monasticis literas edocti, et probati. Latinae linguae usus ipsis familiaris. Extemporales poetae. Disputationes ipsorum, et dicendi character.

Aptissimus
docendi
modus

Fuit olim in erudiendis, prima illa puerili institutione adolescentulis mira Magistrorum industria: qua fiebat ut exiguo annorum spatio, non tantum Grammaticae, sed et aliarum liberalium artium curriculum feliciter discipuli peragerent. Jam vero primis Latinitatis tirociniis, multum laboris exhauriunt pueri, antequam solidae doctrinae aliquid capiant. Quod ego potius docentium pravae institutioni, quam discentium stupiditati putaverim adscribendum. Nam quanto praeceptorum mole onerari solent tenera ingenia? Quis ambages, et maeandros referat, quibus ad Minervae Sacra ducuntur? Quis Regularum, Exceptionum, Observationum, Notarum, Scholiorum, Labyrinthos memoret, quibus involvuntur? Sane dum in illis ediscendis desudant, quae non magis intelligant quam Sibyllae folia, haud raro fit, ut institutionis anima destituti, nempe seria et operosa inculcatione eorum, quae ignorari nequeunt, quum plurima didicerunt, nihil tamen profecerint. Quin Magistellos morosos invenire est, qui discipulos ut psittacos habent, quos *χαίρει* Ave suum docent, et ad dimensum, aliquot ordine paginas edicto praetorio recitare iubent, e rudimentis quae non intelligunt. Satis esse rati, si verba teneant, non res, et memoriam colant, non mentem. O paedantissimos, o ineptias! digna vel detrimento famae mulctari, vel aliqua censoriae severitatis nota aspergi. Quid enim? Hocce est in-

¹⁾ *incommodo*.

stituere, verborum inani et importuno tinnitu in prima studiorum infantia, fatigare puerorum aures, et currentibus remoram facere dum animum ignorantiae situ torpere patiuntur? Falluntur et fallunt. Nullus enim ibi verae doctrinae succus, nulla solide iacta Latinitatis fundamenta; quibus tanquam radicibus innitatur quidquid melioris doctrinae postea superstruitur.

At quanto rectius Praeceptores Benedictini, qui veram instituendi rationem non in praeceptorum mole, sed crebra et indefessa eorundem inculcatione ponebant, ut probe scilicet a pueris intellecta, et facilius disce- rentur, et inhaererent profundius. Philosophus quispiam eleganti hoc similitudine expressit. Nam ut vascula angusti oris, affatim infusos latices reiciunt, sensim instillatos ad- mittunt; sic puerorum titubantia adhuc ingenia, discendi copia deprimuntur, et in studiorum fervore tepescunt; in paucis, si in- culcentur serio, faciles praebent ad discendum animos, et tanquam ex tripode pronunciata avide arripiunt, inque usus suos quidquid fit, convertunt. Legantur quae Venerabilis Beda, Alcuinus Abbas, Rhabanus Maurus, de Grammatica scripserunt, pleraque videntur ad captum puerorum clara et perspicua, nec tetricis illis implicata tricis et quaestiunculis, quas aliqui in prima rudimenta congerunt. Placuit autem Professoribus nostris aperta in docendo brevitatis, ordo facilis, et alia quae compendiarie via ducerent ad metam.

Benedicti-
nis ut pla-
cuit in do-
cendo bre-
vitas, ordo
facilis,

In explorandis vero puerorum ingeniis solertes erant, et circumspecti, in admittendis discipulis adeo sagaces et oculati, ut quemcumque crederent non auctu- rum numerum eruditorum, eum mox dimitterent, aut ad eam artem, cui maxime idoneum censebant, ad- hortarentur. Reluctante enim natura, omnis irritus labor, et frustra scholarum limina deterunt, qui tam sunt indociles, ut ex petra aut fago exculpti videantur.

In explo-
randis in-
geniis so-
lertia,

Hinc doctissimus ille Scholarum Monasterii S. Galli Magister Ekkehardus,¹⁾ quos ad literarum studia tardiores vi- disse, ad scribendum occupaverat et lineandum, ut testis est Ekkehardus iunior.

A quo et illud habemus, solitos adolescentulos omnia Latina lingua efferre, nec vernacula impune usos. Nam quum idem Ekkehardus apud S. Gallum ambas scholas suas teneret, nemo praeter exiles pusiones quidquam alteri nisi Latine ausus est proloqui. Ex huius disciplinae neglectu, quot hodie de- generes Musarum alumni! Pudet, pigetque referre, quantum a Latio iuventus exulet; quum apud quosdam prodigium pene sit,

Latinae
linguae usus
familiaris
in scholis
monasticis.

¹⁾ Ekkeh. de Cas. cap. 10.

imo probrum, Latine loqui, nec lingua tenus, plus matre sua sapiant. Hos si paululum exagitaveris, respondent illico, se prosam et versam orationem eleganter et sine vitio componere. Miseri verborum architecti. Nempe dum Antistes aliquis aut princeps salutandus erit aut alloquendus, mox stilum et tabulam arripietis, ut scripto et ex charta mentis vestrae cogitationes proponatis. O varum acumen, an barbariem potius dixerō! Profecto infans illa est et muta rerum cognitio, quae Latinae linguae usu destituta, pauca vix commota, sine titubatione, foedaque striligine, profari potest. Laudo, laudo veteris moris et institutionis Scholas, quales hodie Benedictinae S. Adriani Gerardimonte, S. Trudonis in Hasbania, quales et quondam Athenensis, Montensis, aliaeque per Belgium Latine loquendi usu celebres, quas Hieronymiani Fratres excoluerunt. Queruntur hodie Monasteriorum Praesules, et religiosarum familiarum superiores, plerosque iuvenum, qui sacrae religionis professoribus adscribi postulant, imperitos admodum esse; vix nosse loqui latine, quid loqui? imo nec legere sine gravibus erratis, aut continuis alucinationibus. Jurares carduos aut spinas ipsis inter dentes haerere: ita verba pronuntiant, praesertim sicubi vox latinior aut insolita occurrerit. Id certe mirum, quin et stupendum in iis, qui non minus quam sex aut septem annos in humaniorum literarum scholis triverunt, nec aliam eius rei causam facile dederis, quam neglectum studium Latinae linguae, quae non tantum studiosos, sed et omnia studia nobilitat.

Extempo-
rales Poe-
tae.

Ex hoc Latine loquendi usu, non grave fuit olim Benedictini Gymnasii alumnis, versus extemporales edere. Cuius rei praeclarum specimen dedit puer ille scholarum S. Galli, quod Ekkehardus his fere verbis recitat. Erat Hadwiga Henrici ducis filia, Suevorum post Burchardum virum dux vidua, femina quidem pulchra, sed nimiae severitatis. Haec quondam parvula Constantino Graeco regi cum esset desponsata, per eunuchos eius ad hoc missos litteris Graecis adprime est erudita. Sed cum imaginem Virginis pictor eunuchus domino mittendam uti simillime depingeret, sollicitè eam inspiceret, ipsa nuptias exosa, os divaricabat et oculos. Sicque Graeco pervicaciter repudiato, litteris post Latinis studentem Burchardus dux multipliciter dotatam duxit, et moriens heredem reliquit. Haec igitur a S. Galli Abbate Ekkehardum sibi in doctorem dari postulavit, et ad tempus aegre licet, impetravit: Ille vero comitatus altero Magistro et puero, Duellium ubi dux morabatur, aliquando venit. Altera deinde die cum diluculo, ut ibi solebant, silentium Regulae, cuius et ipsa exactrix erat, sollicita, de more persolvisset, (nam iam Monasterium in monte statuere coeperat) Magistrum lecturae adiit, et cum conserdisset, ad quid puer ille venerit, ipso astante, inter

cetera quaesivit. Propter Graecismum, ille ait, domina mi, ut ab ore vestro aliquid raperet, alias sciolum vobis attuli. Puer autem ipse pulcher aspectu, metro cum esset paratissimus: sic intulit:

Esse velim Graecus, cum sim vix domina Latinus.

In quo illa, sicut novarum rerum cupida, adeo est delectata, ut ad se tractum osculata, scabello pedum proximius locaret, a quo, ut repentinos sibi adhuc versus faceret, curiosa exegerat. Puer vero Magistros ambos intuitus, quasi talis osculi insuetus, haec intulit:

Non possum prorsus dignos componere versus,
Nam nimis expavi Duce me libante suavi.

Illa vero extra solitam severitatem in chachinum versa tandem puerum coram se statuit, et eum Antiphonam, Maria et flumina, quam ipsa in Graecum transtulit, canere docuit, ita: *Θάλασσα καὶ ποταμοὶ εὐλογεῖτε τὸν κύριον, ὑμεῖτε πηγαὶ τὸν κύριον ἀλληλοῦσα*, crebroque illum postea, cum vacasset, ad se vocatum repentinis ab eo versibus exactis, graecisare docuit, et unice dilexit. Ita Ekkehardus. Ceterum ut disciplinam videas, quam Monachus Principis feminae magister in aula observavit, lubet per transennam hinc eum ex eodem scriptore describere. Dux in conclave, quod suo proximum erat, nocte et die cum familiari aliqua intrare solebat ad legendum pedissequa, foribus tamen semper apertis, ut si quis etiam ausus quid esset, nihil quod diceret, sinistrum haberet. Illic quoque crebro ambos ministri et milites, Principes etiam terrae lectioni aut consiliis invenerunt agentes. Subiicit deinde munera, quibus S. Gallum, et Magistrum acutissima Minerva honoravit.

Ut ad puerorum discentium exercitationes recurrat sermo, video et Professores dedisse operam, ut ingenuam sobolem, mutua contentione, ad certamina, et virtutum eruditionisque praemia incitarent; quod factum per disputationes, quarum ubi hodie usus viget etiam de ignorantia scientiae triumphant. Meminit author vitae B. Alcuini Abbatis, ubi de S. Egberti discipulis haec commemorat: Videres ergo tunc ante Patrem pueros praeparatis se contreberrare telis, discutientes in secreto, quid post ordinabiliter protelarent in publico. Quid vero summus Gymnastes? Nonne, inquit scriptor, videtur tibi de hoc etiam posse dici, sicut aquila provocat ad volandum pullos suos, et super eos volitat expandens alas, assumensque eos, et portans in humeris? ita scilicet

Scholasticae disputationes.

Magister discipulos exercere, et exacuere; ipsi vero mutuis se telis, hoc est quaestionibus, petere consueverant. Quod si cui animo sedet, ac volupe est huius generis concertationes legere, extat B. Alcuini Grammatica Dialogo non inleganti conscripta,¹⁾ cuius interlocutores sunt Saxo, Franco, Discipuli, Magister. Inituim est libri, dignum arbitror quod hîc legatur: Fuerunt in schola Albini Magistri duo pueri: unus Franco, alter Saxo, qui nuperrime spineta Grammaticae densitatis irruperunt. Quapropter placuit illis, paucas literalis scientiae regulas memoriae causa, per interrogationes et Responsiones excerpere. At prior illorum Franco dixit Saxoni: Eia Saxo, me interrogante, responde, quia tu maioris es aetatis. Ego XIV annorum; tu, ut reor, XV. Ad haec Saxo, respondit: Faciam. Ita tamen, ut si quid altius sit interrogandum, vel ex philosophica disciplina proferendum, liceat Magistrum interrogare. Ad haec Magister: Placet, filii, dicite, unde vestram disputationem esse arbitramini incipiendam? Discipuli: Unde, Domine Magister, nisi a litera A.

Relucet autem toto dialogo gentis utriusque genius, et iucundum est, ut alter in alterum innoxiiis spiculis ludat, et subinde latus fodeat. Francus inprimis, cuius ingeniosos impetus, dextre Germanus excipet et retundit.

Dicendi character. Ad ultimum in ratione dandi thematis, et formatione stili, seu scribendi character, non aliud a nostris factitatum suspicor, quam quod Quintilianus, optimus discendi Magister alique melioris notae auctores tradiderunt. Coniecturam meam firment illa quae scribit Ekkehardus, de altero Ekkehardo s. Galli decano in hunc modum: scripsit et in scholis metrico Magistro vacillanter quidem, quia in affectione non in habitu erat puer, vitam Waltharii Manufortis. Quam Moguntiae positi Aribone Archiepiscopo inbente, pro posse et nosse nostro correximus. Barbaries enim et ideomata eius Teutonem adhuc affectantem repente Latinum fieri non patiuntur. Unde male docere solent discipulos semimagistri dicentes: Videte quomodo disertissime coram Teutone aliquo proloqui deceat, et eadem serie in Latinum verbum vertite. Quae deceptio Ekkehardum in opere illo adhuc puerum fefellit, sed postea non sic. Haecenus ille.

¹⁾ Opera Alcuin. pg. 1261.

IX. Caput XXIII. Quaesitum de Minervali, quod discipuli
praeceptoribus dependebant.

Quum fontes ingenii et doctrinae tam libenter et copiose Benedictini professores aperirent, petat aliquis, quam pro institutione mercedem exegerint aut retulerint. Et quidem si veterum morem vestigare et expendere lubet, non una fuit omnium hic mens et affectus. Laudantur qui docendi munus nec vili mercedula, nec propria laude, sed solo discipulorum bono quodque religiosi, ac pii animi indicium est Supremi Numinis gloria metiebantur. Quibus praeivisse et praeluxisse videtur magnus Patriarcha Abraham. Ferunt enim divinissimum illum virum habuisse quandam hortum, seu pomarium elegantem fructibus abundantem, exquisitis arboribus consitum, et eximiis fructibus abundans, in quod deducere consueverat peregre Hierosolimam adventantes, quos humanissime exceptos tractatosque, atque in vera religione egregie eruditos, ad vitae melioris frugem conversos dimittebat, unam rem dumtaxat pro Minervali postulans, ut rerum omnium satorem et conditorem Deum Opt. Max. impense venerarentur et colerent, eique religiose obsequerentur. Secus vero fecisse Themistitum, et quosdam alios sophos scribunt, quorum alii laudis et famae studio suppeditato passim frumento auditores ad sua Gymnasia advocabant: alii e contrario nummorum avidi, quosdam illiberalis sui quaestus consortes, velut canes venaticos et exploratores, in varias urbis Atheniensis stationes, et portus mittebant, ut discipulos ad se adducerent, verissimi certe scientiarum caupones. Priorum vanitatem ex studio gloriae captantium discipulos, sugillat Tacitus¹⁾ seu quis alius: Colligunt discipulos non severitate disciplinae, nec ingenii experimento, sed ambitione salutantium, et illecelebris adulationis; Posteriorum sordes, et venalem animum, mercedulis, dicens, eos Adulescentulos Scholasticos venari. Quo de argumento plura collegit Ludovicus Cressellius in Theatro veterum Rhetorum lib. 4. c. 10.

Quid veteres de minervali.

Juvat vero dispicere, quid praeceptores Benedictini in hoc genere censuerint, aut dignum memoria gesserint. Sic animatos et doctos fuisse crediderim, ut magna charitate, totos se puerorum eruditioni dedicaverint, et eorum quisque illud Senecae usurpare potuerit:²⁾ Ego cupio in Vos omnia transfundere, et in hoc gaudio aliquid discere, ut doceam; nec me ulla res delectabit, licet eximia sit et salutaris, quam mihi uni sciturus sum; si cum hac exceptione detur sapientia, ut illam in-

Quid Benedictini.

¹⁾ Auctor Dial. de Orat.

²⁾ Sen. Epist. 6.

clusam teneam, nec annunciem, reciiciam. Nullius boni sine socio iucunda possessio est. Gratis igitur, et pro Deo, ut dicitur, ingenuam pubem bonas Artes ut plurimum docuerunt.

Docebant
pro Dei
amore.

Qua in re secuti videntur atque observasse Caroli Magni constitutionem de Scholis per singula Monasteria instituendis, in qua quum Magistros eligendos dixisset, qui desiderium haberent alios instituendi; mox subiicit: Et hoc tantum ea intentione agatur, qua devotione a nobis praecipitur. Idem postea in Capitulari suo statuit Theodulfus ex Floriacensi Abbate creatus Episcopus Aureliensis: Presbyteri per villas et vicos scholas habeant. Et si quilibet fidelium suos parvulos ad dicendas litteras eis commendare vult, eos suscipere, et docere non renuant, sed cum summa caritate eos doceant, attendentes illud quod scriptum est: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates. Cum ergo docent, nihil ab eis pretii pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes caritatis studio sua voluntate obtulerint.

Palmare est atque cum laude recolendum Wilhelmi primi Abbatis XXXII. Reomaensis factum, quod Glaber Rodolphus in rebus ab eo gestis ita memorat: ¹⁾ Instituit Scholas sacri ministerii quibus pro Dei amore assidui instarent Fratres huius officii docti. Ubi siquidem gratis largiretur cunctis doctrinae beneficium, ad Coenobia sibi commissa confluentibus, nullusque qui ad haec vellet accedere prohiberetur. Quin potius tam servis quam liberis, divitiis cum egenis uniforme caritatis impenderetur documentum. Sic ille.

Modo tamen aliquid
prae necessitate,

Verum necessitas vel egestas aliquando aliud suasit. Patuit in B. Lanfranco, qui cum Beccensis Monasterii Scholam iussu Herluini Abbatis regeret, ea quae a Scholasticis accipiebat, Abbati conferebat, Abbas operariis dabat, ad promovendam nimirum structionem Monasterii, tanta tum erat paupertas, ut cuius lucerna die ac nocte non semper arderet in ecclesia (ut moris est) prae inopia.

Modo quid
muneris
honorarii
accipiebant

Receperunt et Floriacensis Gymnasii Professores didactron a pueris, sed honestum literarium, eruditum, quod Joannis a Bosco, qui illud ex vetustis forte membranis eruit, observationi debemus. Scholae, inquit, quondam adeo insignes atque celebres in Coenobio Floriacensi habebantur, ut Scholasticorum in eis numerus, plus quinque millibus recenseretur. Hi didascalis suis, muneris honorarii gratia,

¹⁾ Rover in Wil. I. I. I. c. 11.

pro candelis, edictisve in Parisiensi Academia, nostra aetate, Classium moderatoribus exhiberi consuetis: bina manu scripta (eo quod necdum typographica ars emergerat) offerebant volumina. Quorum numerositas locupletissimam Floriacensem conflarat Bibliothecam, quam annis Domini 1561 et 62 diritas Calvinitica, inaeestimabili literariae rei iactura, diripuit, dissipavit, laceravit. Haecenus ille.

Nec praetereundi hoc loco Monachi duo ex nostro ordine, qui non aliam ab auditoribus mercedem posecebant, quam victum et amictum. De quibus ita Sangallensis Monachus: Cum Studia literarum ubique propemodum essent in oblivione; contigit duos Scotos de Hibernia cum mercatoribus Britannis ad littus Galliae devenire, viros et in saecularibus et in sacris scripturis incomparabiliter eruditos. Qui cotidie cum nihil ostenderent venale, ad convenientes emendi gratia turbas clamare solebant: Si quis sapientiae cupidus est, veniat ad nos, et accipiet eam, non (f. nam) venalis est apud nos. Quam tamen idcirco venalem se habere professi sunt, quia populum non gratuita, sed venalia mercari viderunt: ut sic vel sapientiae, sicut ceteris rebus coemendis, eos incitarent, vel per tale praeconium in admirationem verterent et stuporem. Denique tandiu conclamata sunt ista, donec ab admirantibus, vel insanos illos putantibus, ad Caroli regis semper amatoris et cupidissimi sapientiae perlata fuissent. Qui sub omni celeritate ad suam eos presentiam evocatos interrogavit, si vere, ut ipsa fama comperit, sapientiam secum haberent. Qui dixerunt: Et habemus eam, et in nomine Domini digne quaerentibus dare parati sumus. Qui cum inquisisset ab illis, quid pro ipsa peterent, responderunt: Loca tantum opportuna, et animas ingeniosas, et sine quibus ista peregrinatio transigi non potest, alimenta, et quibus tegamur.

O Viros Apostolicos, dignosque maximi Caesaris munificentia! Haec vera charitas, ita se omnibus dare, ita fontem ingenii et doctrinae aperire, ut non tantum venientes excipiat, sed et ad hauriendum alliciat ac invitet.

Quid Sangallenses Magistri a discipulis pro minerali acceperint, in obscuro est. Inter epistolas, seu potius formulas Ruodeperti Magistri S. Galli legitur una cuiusdam pueri ad parentes, qua praeceptoribus aliquid mitti postulat sed non exprimit quid velit. Sic vero scribit: Parentibus suis A. agnus oblaectatus pium balatum. Nuperime a vobis sanus abiens adhuc me valere profiteor. Peto ergo, ut promissio vestra de remunerandis sudoribus Magistrorum meorum ad effectum veniat.

Duo monachi victum et vestitum a studiosis poscentes.

De minerali in S. Galli.

In Anglia. In decretis Capituli Provincialis Benedictorum celebrati apud Northampton in Anglia anno M.CCC.XLIII constituuntur certa praemia in aere doctoribus et professoribus Ordinis, qui in Oxoniensi Academia variorum Coenobiorum Monachos docebant.

(Continuatur in fase. seq.)

Bittschrift des Abtes Robert von Heiligenkreuz um Erlangung und Incorporierung der Abtei St. Gotthardt in Ungarn.¹⁾

Aus der Bibliothek zu Heiligenkreuz.

Allerdurchleuchtigist- Grossmächtigst und Unüberwündlichster Römischer Kayser auch zu Hispanien Hungarn und Böhemb König Erzherzog zu Oesterreich.

Allergnädigster Kaysser König Erblandfürst und Herr Herr.

Es hat *Euer Kay:(serlichen) May:(estät)* in den *Anno* 1715. zu Prespurgh gehaltenen Landtag allergnädigst beliebt unter anderen *Articuln* auch in den Nr. 60. allen denen Jenigen, so sich wegen hinweggekommenen Geistlichen Stüfftungen und Pfründten beklagen, und Ihre Rechte darthuen werden, die Vollkommene erlaubnus gegeben sich anzumelden: disen zufohl hat sich mein Seeliger Vorfahrer *Gerardus* Abbt zum Heil:(igen) Creütz allerunterthänigst unterfangen auch bey den Thron seiner Kay:(serlichen) May:(estät) seine Bittschrift einzugeben. in welcher er umb die *Restitution* des Uralten *Cistercienser* Stüfft *S. Gotthardi* demüethigst angehalten, Ueber welches *Petition* auch zu untersuechen *Euer Kay:(serliche) May:(estät)* eine Löbliche *Cameral Commission* anzuordnen geruhet, auch daryber, so Vill mir wissend, von selben ein *Referat* abgestattet worden. Underdessen aber hat *Euer Kayl: Mayt:* auss Beliebigen Ursachen *ad dies vitae* den *Cardinali Chacky* solche Abbtay zu verleyhen Müldigst beliebt. Weilen aber obbemelter *Cardinal* mit Todt abgegangen, ich aber meinen auch verstorbenen Vorfahrer auss allerhöchster Kayserlichen gnädigster *Confirmation* in seine stell nachgefolget, so habe mich auch schuldig zu seyn geglaubet, seine Guete, und in denen *Judicatis anteaetis fundirte* Begürden

¹⁾ St. Gotthardt, eine Tochter von Trois-fontaines (Trium fontium), von König Béla III den Cisterciensern erbaut. Zuerst vom Mutterhaus, dann von Reun abhängig, gerieth es schliesslich in weltliche Hände, unter denen es seinem Verfall rasch entgegenging. 1723 erhielt es Emerich Czaky; nach dessen Tode gelang es endlich den rastlosen Bemühungen des Abtes Robert Leeb, (1728 - 1755), dasselbe nicht nur dem Orden, sondern auch Heiligenkreuz zu gewinnen, mit dem es bis 4. November 1878 vereinigt blieb.